



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

75. Supposita opinione probabili, quod in Sabbatho Sancto poßit à quolibet
Sacerdote, secluso scandalo, in aliquo Sacello dici Missa priuata, quæritur
an dicenda sit Missa Resurrectionis cum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

Atque de SS. Euchar. Sacr. Ref. LXXIV. &c. 39

parte de los Doctores concuerdan, que sería pecado mortal dexar de oyr Misa; porque en tal caso, como dize bien Marchino num. 8. concurren dos cosas, dia de fiesta, y sacrificio que se celebra; y assi para que puedan los fieles cumplir con este precepto; dan lugar los señores Obispos para que en cada Iglesia se digan dos Misas rezadas: assi lo ordenò el señor Arçobispo de Zaragoza el año de 1639. que cauzò en este dia San Jorge, fiesta colenda en esta Ciudad; y yo fuy vno de los que la dixeran en esta casa.]

12. Et Cardinal Lugo *vbi sup. n. 20.* toma el Cielo con las manos còtra los que tienen por opinion, que no se puede celebrar en este dia, y no obstante este sentir dizen que si cae fiesta en el, puede dar licencia el Obispo para que se digan algunas Misas rezadas, para que el Pueblo pueda cumplir con el precepto; parecele à este Autor, que no hablan con sequenter; porque si està prohibido por la Iglesia, mal puede dar licencia el Obispo, pero quando tenga esto absurdo; en opinion de estos Autores, en la nuestra que afirmamos, que con cosa se puede dezir, ningun absurdo se sigue. Ita ille, cui ad Leandrum *de Sacramento. tom. 2. tr. 8. disp. 5. q. 2. 5. vbi sic ait;* De facto anno 1606. occurrente festo Annunciationis in Sabbatho Sancto, plures Misae celebratae sunt in Toletana diocesi, quam ego etiam tali die in hoc nostro Complutensi Collegio celebraui. Hæc Leander. Quæ quidem omnia à fortiori procedunt, si festum Annunciationis incidere in Feria V. Nam, vt optimè obseruat Emin. Card. Lugo, & omnes Doctores citati, *vbi sup.* nullus Canon in iure prohibet, ne dicta die Missa celebretur, vt prohibetur pro die Sabbathi Sancti; & tamen hoc non obstantè, satis probabiliter plures Doctores vt visum est, docent per consuetudinem Canonem prohibentem celebrare Sabbatho Sancto fuisse abrogatum: Et ideò si festum Annunciationis in illud incidere plures Misas dicendas esse, vt fideles præcepto satisfacerent, vt factum fuit in Hispania anno 1606. & anno 1639. ergo à fortiori dicendum est in casu nostro in die Feria V. maxime accedente licentia, & ordinatione Episcoporum. Vide præter DD. citatos Ioan. de Garzia in *Epilogo summarum p. 2. tr. 1. sect. 5. disp. 2. §. circa recitationem.* Possentium in *recollet. q. Moral. verb. Missa, c. 1. n. 19.* Efcobar in *Theol. moral. tr. 1. exam. 1. c. 4. n. 49.*

13. Verum difficultas est, quænam Missa eo die dicenda sit.

Respondeo non esse dicendam Missam de Annunciatione, quia Missa, & officium dictæ diei transferuntur post tempus Paschale, sed dicenda erit Missa diei currentis: nam licet aliqui Doctores asserant in casu quo festum Annunciationis incidere in Sabbathum Sanctum, dicendam esse Missam de B. Virgine, & non Missam Resurrectionis; hoc ipsi dixerunt, quia Missa Resurrectionis non habet Introitum; sed in nostro casu Missa ferie V. non caret Introitu: ergo illa dicenda erit, & non de Beata Virg.

RESOL. LXXIV.

An si festum Annunciationis veniat in die Sabbathi maioris Hebdomadae, sint in illa die celebranda plures Misae in Ecclesiis? Et quænam Missa dicenda sit in illa die? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 21.

§. 1. Hoc dubium potest in praxi sæpius contingere; & ego puto vtramque opinionem, nempe affirmatiuam, & negatiuam esse probabilem. Negatiuam docuit Villalobos in *sum. p. 1. tr. 8. dub. 20. n. 4.* & quia Codex rarus est, ponam eius verbum. *Tom. II.*

ba. [El año de 1606. que cayo la Annunciacion en Sabado consultò el Obispo de Salamanca letrados para este caso, y resoluieron, que non se dixesse, y lo mismo fue en Valladolid adonde estava a la fazon la Corte, y no sabemos que en parte ninguna se aya hecho lo contrario.]

2. Sed contrariam docuit doctissimus Ledesma in *summa tom. 1. de sacram. Eucharist. cap. 19. concl. 5.* Fernandez in *exam. Theol. mor. p. 3. cap. 5. §. 5. n. 2.* Syluius in *3. p. q. 83. art. 2.* noster Molfesius in *summa tom. 1. tract. 3. cap. 17. n. 41.* & nouissimè Ioan. de la Crux in *direct. cons. p. 2. in sacr. Missæ, q. 2. dub. 2. concl. 1.* vbi Anno 1617. occurrente festo Annunciationis in Sabbatho Sancto plures Misae celebratae sunt in singulis Ecclesiis Toletanae Diocesis.

3. Si petas verò, quænam Missa dicenda sit in illa die. Respondit Ledesma *vbi supra*, vel Missa B. Virginis, vel Missa ordinaria illius diei, cum introitu tamen Missæ Resurrectionis sequentis diei. Rationes verò pro parte negatiua huius dubij, inuenies apud Valquez in *3. part. tom. 3. q. 83. art. 3. disp. 233. c. 2. n. 23.* Pro parte verò affirmatiua apud Suarez etiam in *3. p. tom. 3. disp. 80. sect. 2. ver. tertius dies.* Vide etiam Pitigianum in *4. tom. 1. dist. 13. q. 2. art. 2.* Ego autem consulere sententiam affirmatiuam. Vide etiam circa præsentem questionem, Gauant in *comment. ad Rubr. Missal. tom. 1. part. 4. tit. 10. n. 43.*

RESOL. LXXV.

Supposita opinione probabili, quod in Sabbatho Sancto possit à quolibet Sacerdote, secluso scandalo, in aliquo Sacello dici Missa priuata, quæritur, an dicenda sit Missa Resurrectionis cum vesperis?

Et discernuntur omnes difficultates, quæ contingere possunt in predicto casu circa Introitum; Prophetias, Credo, & alia, etiam si festum Annunciationis incidere in dicta die.

Et docetur, quod si in Sabbatho Sancto incidere festum Annunciationis, & quis audierit Missam dicti Sabbathi, vt satisfaciat præcepto, tenetur audire vesperras, seclus autem peccauit saltem venialiter. Ex p. 11. tr. 8. & Misc. 8. Ref. 66.

§. 1. Alibi satis probaui contra Valquez, Castalum, Saussay, Azorium, quibus adde Iordanum *tom. 1. lib. 4. tit. 1. n. 111.* non esse peccatum secluso omni scandalo in Sabbatho Sancto celebrare, & dicere Missam Resurrectionis.

2. Stando igitur in hac sententia, & quod Missa priuata in illa die dicenda sit de Resurrectione, difficultas est, an dicenda sit vt Missa solemnis, videlicet cum vesperis? Casus est curiosus, practicabilis, & à pleribus non pertractatus. Itaque negatiuam sententiam docet noster P. Castald. in *Cæmon. lib. 3. sect. 18. cap. 7. num. 2.* vbi sic ait; Cum enim hæc Missa non habeat Introitum, facta contritione, in qua dicitur Psalm. *Iudica me Deus*, immediatè à *Kyrie eleison* incipit Missa; in qua non dicitur Credo, neque Offertorium, & in præfatione dicitur, *Te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimum nocte.* Infra actionem. *Communicantes*, & noctem sacratissimam celebrantes, cum hanc igitur, propria, *Agnus Dei* non dicitur, & loco post communionem dicitur Antiphona *Vespere autem Sabbathi*, sine Psalmo, postquam dicitur oratio *Spiritus nobis, &c.* & *Itæ Missa est* cum duplici *Alleluia*; Ita ille.

3. Verum ego adhareo sententiæ affirmatiuæ, nempe in Sabbatho Sancto dici posse Missam priuatam, vt dicitur Missa solemnis cum vesperis; Vnde licet

& infra in tr. 2. ex Ref. sol. 45. lege §. vit. & ex Ref. 46. §. Notandum, & vit.

Sup. hoc in Ref. 2. not. præterita & signanter §. penult. & vit. Ref. seq. & in Refol. præterita §. Verum. & seq. & infra in tr. 2. Ref. 45. cursum in fine.

Alibi in Ref. 1. post præteritam §. dico. & in Ref. præterita per totam. & infra in tr. 2. ex Ref. 45. lege doctrinam eius §. vit. & ex Refol. 46. §. Notandum. & §. vit.

Gauantus teneat in dicto die non esse recitandas Missas priuatas, tamen supposita probabilitate nostrae sententiae, asserit dicendam esse Missam cum Vesperis. Sic itaque asserit in *Rubric. Missalis p. 4. tit. 10. n. 44.* Quo casu forte sufficit incipere à Confessione, quae finita dicat *Kyrie eleison*, de more, & reliqua cum vespers vsque ad finem Missae. Ita ille. Et post illum Leand. *de Sac. 10. 2. tr. 8. disp. 5. q. 27.* Et pro hac sententia adducendus est etiam Eminentiss. D. meus Card. Lugo *de Sac. Eucharist. disp. 20. sect. 1. n. 21.* vbi sic ait; Infertur secundo in Missis priuatis illa die non esse legendas prophetias, quia illae non sunt pars Missae, sicut nec benedictio Cerei; sed pertinent ad officium cantandum solemniter cum choro. De litanis posset magis dubitari; nam Micrologus *cap. 5. de Sabbatho Sancto*, dicit, quod à litanis solebant incipere qui Missam priuatim celebrabant; sed tamen hoc non est in vsu; quia litaniae reuera non pertinent ad Missam, vnde qui ex præcepto Missam illam audiunt, non obligantur ad audiendas litanias. Ita ille, & post illum Hermann. Busembaum in *Medulla Theol. Moral. lib. 6. tract. 3. cap. 3. dub. 3. in respons. ad 2.* Ergo si Cardinalis Lugo, & alij excludunt tantum à Missis priuatis dicendis in illa die prophetias & litanias, dicendum est includere vespers; nam si vellent vespers excludere, aut facerent vt nominatim fecerunt de litanis, & prophetiis, clarum est ex vulgatis iuribus quod inclusio vnius est exclusio alterius, vt patet ex *l. cum prator, ff. de iudic. l. cum maritimus, C. de procuratorib. l. quannus C. de pignori l. ait Prator. §. Sed quod Papinian. ff. de minorib. cap. nome, de praesumpt. & docet Surd. *decis. 195. n. 12.* Menoch. *conf. 106. n. 14.* & alij communiter. Ergo, &c.*

4. Rectè itaque etiam hanc sententiam sequendo Tambur. in *opusculo de sacrificio Missae lib. 1. c. 6. §. 1. n. 2.* sic ait; Incipit autem talis Missa priuata Sabbathi Sancti à *Kyrie eleison* exclusis prophetiis & litanis, quae solum in Missa solemniter recitantur; Ita ille. Ergo si ex Missa priuata Tamburinus excludit solum prophetias & litanias, necessariò dicendum est includere vespers.

5. Nec obstat dicere in fauorem sententiae Castaldi, quod nimis indecens & indecorum videtur vespers summo mane recitare: nam respondeo negando esse indecens in nostro casu dicere vespers summo mane; cum enim licitum sit & deceps, vt suppono, dicere Missam in illa hora, ergo licitum erit & decens dicere etiam vespers. Probo consequentiam, quia in illa die vespers sunt pars Missae, & eius accessorium; ergo debent sequi naturam sui rotius, & sui principalis iuxta vulgatam regulam, quod accessorium sequitur naturam sui principalis iuxta *l. etiam Cod. de iur. dotium, & regula accessorium de regul. iuris in 6.* ac exornat Menochius *conf. 58. n. 13.* Surdus *de aliment. tit. 9. §. 3. n. 8.* & alij ergo, &c.

6. Itaque assero quod si vespers illius diei dicebantur ab aliquo summo mane extra Missam, tunc vtique ea recitatio indecens appareret; Sed quando dicuntur cum Missa, vt eius pars, nullam indecentiam continere dicendum est, cum in tali casu vespers, vt eius pars, induantur natura & priuilegio Missae; vt ergo, &c.

7. Vnde ex his infero, quod si in Sabbathum Sanctum incidere festum Annunciationis, & quis audiret Missam dicti Sabbathi, vt satisfaceret præcepto, quando Sacerdos recitaret in Missa Vespers, si ipse tum extra Ecclesiam egrederetur, vel voluntarie distraheretur, peccatum veniale committere dicendum erit. Probat, nam vespers in illa die sunt pars Missae; sed in illa die propter festum Annunciationis quis tonetur audire missam: ergo peccat venialiter

si non audit Vespers, nam relinquit audire partem Missae.

8. Nota verò quod post hæc scripta Eminentissimum D. meum Cardinalem Lugo audiui, vt magis clarè mens eius mihi innotesceret, & inueni illum nostrae sententiae adherere, & illum in proximam deduxisse: nam quoties celebravit Missam priuatam in Sabbatho Sancto, recitauit illam cum Vespers, & testatus est sic etiam fecisse plures Patres inclite Societatis Iesv, & ita obseruari in Hispania. Et hoc anno 1654. in Ecclesia Sanctae Marthae, in qua omnes Sacerdotes in illam confluentes dicunt Missam in Sabbatho Sancto, hoc anno, inquam, Capellani instabant Missas dicendas esse cum Vespers, & ita etiam aliquos Sacerdotes fecisse. Et hanc sententiam mouissimè tenet Bartholomaeus Corsetus in Praxi Sacrorum Rituum *p. 2. tract. 1. cap. 8. n. 25. in fine fol. 88.* & Claudius Arnaud in *Epitome Sacrorum Rituum tract. 1. p. 4. tit. 10. n. 28. fol. 146.*

9. Vnde ex his omnibus licet Gauantus præsertim præferat hoc dubium esse magis fugiendum, quam dicendum; ego tamen satis probabiliter firmo, Missam priuatam in die Sabbathi Sancti esse recitandam cum Vespers, & idèdò non adhaereo nostro Castaldo, quin etiam ab ipso dissentior dum asserit *ob praen. num. 1.* vt dicta Missa non antea celebretur quam in Ecclesiis incipiant, vel saltem incipere præbiter potest officia Paschalia; nam licet hanc opinionem Castrus Palaus & alij tenuerint, nihil magis placet posse dici summo mane: Ita docet Dicitillus *de Sacramentis tom. 1. tract. 5. disp. 2. dub. 2. num. 38.* quia nihil est quod cogat in contrarium, & priuata vltus ita habet, teste Cardinali de Lugo *loco cit. n. 24.* Idem docet Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 5. quaest. 28.* Hurtadus *disp. 4. de sacrific. Missae, diff. 5. in finem.* Hieronym. Garzias in *summ. tract. 3. diff. 1. dub. 4. punct. 3. num. 17.* cum aliis, & hic Romæ in Ecclesia Sanctae Marthae in die Sabbathi Sancti summo mane Sacerdotes incipiunt celebrare Missas priuatas. Ergo, &c.

10. Et tandem hic quaero, an si aliquis Sacerdos vellet in Sabbatho Sancto dicere Missam priuatam, possit dicere aliam Missam extra Missam eadem illius diei. Et affirmatiuè me citato tenet Leander *suprà q. 17.* vbi sic ait; Qui autem voluerit Missam priuatam in Sabbatho Sancto celebrare, poterit dicere Missam ordinariam illius diei, aut cum introitu Missae diei Resurrectionis, vel incipiendo à *Kyrie eleison*, finita confessione, vt dicit Gauantus, aut Missam Sancti in illa die concurrentis, aut votiuam B. Virginis. Ita ille. Cui adde me etiam citato Hermannum Busembaum in *Theol. Moral. lib. 6. tract. 3. c. 5. dub. 3.* & me citato Caspensem in *curf. Theol. tom. 2. tract. 3. disp. 3. sect. 2. num. 56.* & me citato Machadum *de perf. confess. tom. 2. lib. 4. part. 1. tr. 11. docum. 1. n. 5.* Idem docet Trullench. *de Sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 9.* Idem docet Escobar in *Theologia Moral. p. 1. n. 10. ma editionis tract. 1. Exam. 11. cap. 4. num. 49.* Hurtadus *disp. 4. de Sacrific. Missae, diff. 3.* & alij. Sed ego modo figo pedes, & firmiter assero in tali die non esse celebrandam aliam Missam quam Resurrectionis, modo quo supra dictum est, & ita docet Dicitillus *de Sac. tom. 1. tr. 5. disp. 4. dub. 2. n. 37.* & alij: nam cum Missa, & officium illius diei sit ritu duplici, rubrica Missalis magis conformè & conformem eum citò oportet dicere Missam votiuam, quam in duplicibus aduertunt non esse dicendam.

11. Dicere Missam Annunciationis, vel alterius Sancti, si incidat in illum diem, non probo, cum tunc non celebretur, sed transferatur illud festum. Dicere Missam cum introitu sequentis diei Domini

Atque de SS. Euchar. Sacr. Res. LXXVI. &c. 41

nica Resurrectionis, non mihi placet; nam esset confundere Missas inter se, & Missa Sabbati Sancti ex institutione non haberet introitum.

RESOL. LXXVI.

An licitum sit Regularibus in Festis duplicibus dicere Missas votivas cum Gloria in excelsis Deo? Et an sit licitum Regularibus in Festis duplicibus Missas votivas Spiritus Sancti, B. Virginis Marie, vel Defunctorum celebrare? Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Resol. 3.

§. 1. **A**firmatiue respondet Brunus de priuileg. Regul. part. 2. tract. 8. cap. 1. prop. 4. vbi sic ait, Regularibus licitum est in festis duplicibus Missas votivas Spiritus Sancti, Virginis Marie, vel Defunctorum pro libito celebrare, & in eisdem, ac aliis omnibus votiuis canticum Angelorum, seu Gloria in excelsis Deo, & etiam pro libito dicere. Duas habet partes hæc propositio: Prima priuilegium non est, sed commune ius, quo non solum Regulares, verum etiam sæculares vti possunt in Missis priuatis, vt tenent Suarez de Eucharist. disp. 83. sect. 3. & disp. 88. sect. 3. conclus. 1. maxime in §. in quo est. Portell. in addit. verb. Missa §. 8. & alij: Et probatur, quia alia ratio est de obligatione Sacerdotis, vt confirmetur festo illius diei in recitando diuino Officio; alia vero vt confirmetur in dicenda Missa cum Rubricis Missalis. Hæ enim Rubricæ iuxta Doctores minus obligant, quam alia, non enim est præceptum de Missa, aut tali Missa dicenda, sicut est de Officio dicendo. Dixi priuatis, quia aliter in solemnibus asserendum iuxta cap. Quidam, & cap. Creatura, de celebrat. Miss. de quibus, & aliis vide citatum Suarez. Secunda autem pars propositionis probatur ex concessione Alexandri IV. facta Minoribus, vt in Missis votiuis Spiritus sancti, & Virginis Marie, & Gloria in excelsis Deo, necnon sequentiæ competentes tam in solemnitatibus cantate, quam dicere possint in priuatis, non obstanti statuto generali, videlicet Capite Concilium, extra de celebratione Missarum, in quo Pontifex Innocentius III. statuit, vt in Missis commemorationis, seu votiuis licet dicatur propria præfatio, non tamen Hymnus Angelicus, seu Gloria in excelsis, vt inter commemorationem, & solemnitatem differentia ostendatur. Verum cum hæc concessio non extendatur nisi ad votiuas de Spiritu sancto, & de Virgine Maria, alia concessio Sixti IV. adducenda est, quæ refertur à Roder. tom. 1. 99. Regul. q. 43. art. 1. his verbis: Concessit Fratribus Minoribus de Observantia, vt possint dicere in omnibus Missis votiuis Gloria in excelsis Deo. Ita Benus. Sed displicet mihi id quod asserit Brunus absolute licitum esse in festis duplicibus dicere Missas votiuas; nam hoc est illicitum, & ex Rubricis saltem venialiter peccaret; licet aliqui asserant mortaliter; & sic docet ipsemet Suarez ab ipso adductus; Et ideo me citato Dicastillus de Sacrament. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 14. n. 273. sic asserit: Statuendum secundò, Quosdam putare per se loquendo non esse licitum, Missam aliam celebrari ab eo, qui pro arbitrio suo potest dicere, & omittit Missam absque obligatione; nam sicut liberum est Missam dicere & omittit, ita etiam aliam celebrare. Quæ doctrina verissima est, si de obligatione sub mortali agamus; neque enim videtur sub mortali latum præceptum dicendi Missam de Feria, aut de

Sancto, ita Suarius disp. 83. sect. 3. Reginald. lib. 26. num. 208. Syluester verbo Missa. Henriquez lib. 9. cap. 23. n. 5. in Commentario lit. H. vbi plures alios refert, inter quos Sorum, & Medianam, quibus adde Dianam cum multis aliis, quos refert 2. part. tract. 14. ref. 30. 31. & 32. & 4. part. tract. 4. Miscell. resol. 39. vbi docet id esse reprehensibile, & asserit aliquos, qui putant esse mortale contra nonnullos alios, Azor, etiam loco cit. dicit esse dubiam quæstionem, quando sit sine aliqua rationabili causa, & probabilius putat esse peccatum mortale. Vnde vt minimum concederet esse veniale. Hæc Dicastillus. Caueant ergo Sacerdotes præsertim sæculares, imò & Regulares ex doctrina Patris Bruni in festis duplicibus Missas dicere, quia etiam Regulares de hoc non habent priuilegium, & vi Rubricarum saltem qui vtuntur Missali Romano, tenentur sub peccato veniali in festo duplici, & in Dominicis Missas votiuas non celebrare; ergo, &c.

Prima, & tertia Res. citata in hoc textu nunc hanc sequitur, alia vero duæ hic sunt supra Resol. 67. & 70.

Sup. hoc præ Regularibus lege vers. à not. primæ huius Res.

RESOL. LXXVII.

Utrum Sacerdos, qui in diebus Dominicis, vel in aliis festis duplicibus celebrat aliam Missam votiuam v. g. vel de Requie, &c. peccet mortaliter? Ex part. 2. tr. 14. Res. 30.

§. 1. **R**espondeo negatiue. Ita Miranda in Manuali Pralat. tom. 1. q. 41. art. 21. concl. 3. Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 83. sect. 3. concl. 1. Zanardus in direct. Theol. part. 1. de sacram. Euchar. c. 12. q. 14. Hier. Llamas part. 3. Methodi, cap. 5. §. 14. & alij; quicquid in contrarium asserat Barthol. ab Angelis in exam. confessional. §. 466. & Angelus ver. Missa, n. 33. Ratio est, quia sicut Sacerdos potest liberè dicere, vel non celebrare Missam, ita etiam & aliam celebrare, & in rigore præceptum dicendi Missam v. g. de Sancto, de feria, &c. non videtur latum sub onere peccati mortalis nisi aliud circumstantiæ suadeant, & scandalum adsit, & ideo cum Villalobos in summ. p. 1. tractat. 8. disp. 31. num. 5. non damnarem reum peccati mortalis, Sacerdotem illum, qui in diebus festiuis Apostolorum Virginis, & Domini nostri, diceret aliam Missam.

Sup. hoc lege doctrinæ Res. præteritæ, signanter ad medium, à vers. Sed displicet. & in to. 4. tr. 1. Res. 41. §. vi. post mediū: vers. vbi docet.

RESOL. LXXVIII.

An Sacerdos obligatus dicere Missas D. Gregorij tenèatur illas dicere sine interruptione, & omnes de Requie? Ex p. 2. tr. 14. Res. 32.

§. 1. **R**espondeo negatiue, & præter DD. quos citat, & sequitur Bonacina de Sacrament. disp. 4. quest. vlt. punct. 7. §. 3. n. 6. & 7. tenet hanc sententiam Homobonus de Bonis in examine Eccl. p. 1. tract. 4. cap. 14. q. 127. Quod non teneatur dicere Missas de Requie, patet ex dictis superiori resolutione. Quòd verò possit illas cum interruptione celebrare, patet. Nam Missarum obligationes, licet ad locum relate interruptionem non admittant, tamen ad Sacerdotis personam relate ciuili modo, & moraliter intelliguntur, vt salua honestate, ac deuotione Sacerdotis quantum fieri potest, magis continuè celebrentur. Vide etiam Beiam p. 1. cas. 24. Sed post hæc scripta inueni Gauntium in comment. ad Rubric. Missal. tom. 1. p. 1. tit. 5. lit. D. contrarium docere, nempe valere quidem supradictas Missas si discontinuantur, sed non vt eas quas instituit S. Gregorius: sed tunc